



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XV. De quibusdam confraternitatibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

XIII.

Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens vxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœnitentiant.

XIV.

Quod si vir non habens vxorem, alterius vxorem adulterauit, aut si qua mulier non habens virum, cum alterius viro: ille qui foedus violauit coniugii, septem annis, vt supradictum est, pœnitentiat: ille qui lege coniugii non tenetur, quinque annis pœnitentiat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his, quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam coniugum amplexus, & illis qui coniuge carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem ceciderunt.

XV.

De collectis, vel confratriis, quas consortia vocant, sicut verbis monuimus, & nunc scriptis expresse præcipimus, vt tantum fiat, quantum retum ad auctoritatem & utilitatem, atque ad salutem animæ pertinet. Ultra autem nemo nec sacerdos, neque fidelis quisquam, in parochia nostra progredi audeat. Id est, vt in omni obsequio religionis, videlicet in oblatione, in luminariis, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynariis, & ceteris pietatis officiis. Pastos autem & comedationes, quas diuina auctoritas vetat, vbi & grauedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiae, & rixæ, saepe etiam, sicut experti sumus, usque ad homicidia, & odia, & dissensiones accidere solent, adeo penitus interdicimus, vt qui contra hoc

Concil. Tom. 24.

Rrrr ij

Iux part. 8.
cap. 107.

decretum agere præsumperint, si presbyter fuerit,
 vel quilibet clericus, gradu priuetur: si laicus est,
 aut femina, ab ecclesia usque ad satisfactionem se-
 paretur. Conuentus autem talium confratrum,
 necesse si fuerit ut simul conueniant, aut forte
 aliquis contra parem suum discordiam habuerit,
 quem reconciliari necesse sit, & sine conuentu
 presbyterorum & ceterorum esse non possit, post
 peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ religio-
 ni conueniunt, & post debitas admonitiones, si
 contigerit ut veræ caritatis & fraternæ inuicem
 consolationis omnes ad refectionem conueniant,
 sic talia fieri permittimus, ut seruata modestia, &
 temperantia, & sobrietate, pacisque concordia,
 sicut decet fratres, in ædificationem fraternitatis,
 & laudem & gloriam Dei, & gratiarum actiones
 fiant. Et hoc omnino caueatur quod Saluator
LNC. XI.
 ait: *Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Qui voluerint, eulogias a presbytero accipiant: & panem tantum frangentes, singulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere præsumant.* Et sic unusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat.

XVI.

Iuo part. 3.
cap. 269. Ut si quilibet presbyterorum defunctus fuerit,
 vicinus presbyter apud sæcularem seniorem nulla
 precatione, vel aliquo xenio, ecclesiam illam obti-
 neat, quia titulus per se constans antea extitit, sed
 neque capellam sine consultu episcopi. Quod si
 fecerit, definitam sententiam sibi prolatam susci-
 piat, sicuti de episcopo canonica decreuit auctori-